

¶ *Facta*. h. t. in 6. et Pirhing h. t. n. 20. in præallegatis locis, atque aliis similibus, non simpliciter fit exceptio; sed simul reus directe respondet libello actoris cum adjuncta contradictione, et animo contestandi litem, taliter videlicet: «Nego, aut non credo narrata, prout narrantur, vel petita prout petuntur; et si etiam vera essent, tamen opponere possem, atque oppono exceptionem permutationis, præscriptionis, vel condonationis, etc. Idem fit in casu, si actore petente decem, reus dicat se non teneri solvere, cum pactum de non petendo sibi factum fuerit. Patet enim, quod talis responsio non contineat meram exceptionem; sed primo fiat directa responsio, seu contradictio ad petitionem actoris, et postea subjungatur exceptio: ac proinde merito hac ratione censetur lis esse contestata. Abbas, cap. un. n. 18. h. t.

29. *Effectus litis contestationis sunt multiplices*. — Quæritur V. Quinam sint effectus litis contestationis? Resp. eos esse multiplices. Et quidem

30. *I. Per eam constituitur iudicium*. — I. Per litis contestationem constituitur iudicium, potestque procedi ad sententiam diffinitivam, ad quam cæteroquin in iudicio ordinario deveniri nequit, cap. un. h. t. estque jam dictum supra n. 3. h. t.

31. *II. Ac partes litigantes sese obligant ad instantiam judicalem prosequendam*. — II. Per litis contestationem censentur partes litigantes mutuo consensu sese obligasse in ordine ad tale iudicium, sive ad huiusmodi instantiam judicalem prosequendam. Per eam siquidem juris fictione celebratur aliquis quasi contractus inter litigantes; ita, ut inducatur obligatio de iudicio sisti, et de iudicatum solvendo: hoc est, ut teneantur partes litigantes toties comparere, seque sistere in iudicio, quoties opus fuerit: neque possit alterutra pars altera invita a iudicio recedere; alioquin vero veluti improbus litigator omnia damna, et litis impensas, adversario resarcire teneatur, § *Hæc autem*. Instit. de *Pœna temere litigant*.

32. *III. Ex ea oritur actio iudicati*. — III. Ex hoc quasi contractu oritur actio iudicati, sive obligatio de iudicatum solvendo, virtute cujus pars victa obligatur post sententiam præstare id, quod per sententiam iudicatum, atque decisum fuerit. Engel h. t. n. 5.

33. *IV. Post litem contestatam non potest*

*iudex recusari*. — IV. Post litem contestatam iudex non potest recusari; text. clar. I. *Nemo*. C. de *Jurisdiction. omn. judic.* Etenim per litis contestationem coram eo factam censetur quis in talem iudicem consensisse, atque ejus, licet cæteroquin incompetentis, jurisdictionem in se prorogasse. Fallit tamen hoc in casu, quo nova causa, ipsum recusandi primum supervenit, c. *Insinuante*. 25. de *Offic. delegat.* aut si postea solum ejus notitia acquiratur, c. *Pastoralis*. 4. de *Exception.*

34. *V. Nec postea possunt opponi exceptiones dilato*. — V. Post contestationem litis nequeunt amplius opponi exceptiones dilatoriæ, vel declinatoriæ fori, c. *Inter monasterium*. de *Sentent. et re judic.* ibi: «Quas etiam tanquam dilatorias ante litis ingressum opponere debuissent:» cum concordantiis ibidem a Glossa relatis. Nam per contestationem litis censetur cœptum iudicium, atque renuntiatum dictis exceptionibus.

35. *VI. Per eam perpetuatur jurisdictio delegati*. — VI. Per litis contestationem perpetuatur jurisdictio delegati, adeo ut hæc per mortem delegantis non expiret, c. *Relatum*. 19. de *Offic. delegat.* Quinimo jam per citationem perpetuatur jurisdictio delegati, c. *Gratum*. 20. eod. estque fusiis declaratum lib. I, tit. III. de *Rescriptis*. § 10, n. 238. et seqq.

36. *VII. Ac post ipsam procurator invitatus revocari nequit*. — VII. Procurator, qui ante litem contestatam, etiam absque alia causa, libere revocari potest, postmodum invitatus nequit amplius revocari, nisi subsit causa aliqua rationabilis, c. *Quamvis*. de *Procurat.* in cit. Procurator siquidem per litis contestationem effectus est dominus litis, ac proinde absque alia causa rationabili invitatus revocari nequit, quamvis dominus, si voluerit, adhuc libere una cum procuratore suo possit interesse causæ suæ, præsertim si de collusionione timeat; prout subjungitur cit. c. *Quamvis* estque jam dictum, lib. I, tit. XXXVIII. de *Procuratoribus*. n. 105 et n. 132 et seqq.

37. *VIII. Neque mutari libellus*. — VIII. Post litis contestationem nequit amplius mutari libellus; ut dictum supra, tit. III. de *Libelli oblatione*. § 1, n. 29 et 30.

38. *IX. Et quid, si post eam alterutra pars litigantium recuset præstare juramentum calumniæ*. — IX. Litis contestatione semel facta, si alterutra pars litigantium absque justa causa recuset præstare juramentum calumniæ, actor quidem cadet sub actione; reus

vero pro confesso habebitur, text. clar. cap. ult. § fin. de *Jurament. calumn.*

39. *X. Per litis contestationem actiones temporales fiunt perpetuæ*. — X. Per litis contestationem actiones temporales fiunt perpetuæ; adeo, ut durent usque ad quadraginta annos l. ult. C. de *Præscript. triginta annorum*.

40. *XI. Atque per eam fit, ut actiones pœnales transeant in solidum contra eorum hæredes*. — XI. Litis contestatio facit, ut actiones pœnales, seu ex delicto, vel quasi delicto descendentes, transeant in solidum contra reorum, sive delinquentium hæredes; quæ alioquin nonnisi, quatenus ad hæredes pervenerit, transeunt. § *Non autem omnes*. Instit. de *Perpetuis et temporal. action.* Nam hæredes post litem antea contestatam non tam ex delicto defuncti, quam ex quasi contractu litis contestatæ, conveniri intelliguntur. Engel h. t. n. 5; Sannig eod. cap. iv, n. 1.

41. *XII. Per eam interrumpuntur præscriptiones longi temporis*. — XII. Per litis contestationem interrumpuntur præscriptiones longi temporis, videlicet decem aut viginti annorum, inchoatæ a reo, l. *Moræ litis*. C. de *Rei vindicat.*

42. *Hi, aliique effectus, nonnisi per validam litis contestationem inducuntur*. — Tacentur nonnulli alii effectus litis contestatæ, de quibus alibi. Quanquam iidem, sicut et hæcenus enumerati, nonnisi per validam litis contestationem inducantur: nam invalida nihil operatur, nullumque effectum producit, Auth. *Offeratur*. C. de *Litis contestat.*

## TITULUS VI.

Ut lite non contestata non procedatur ad testium receptionem, vel ad sententiam diffinitivam.

1. *Rubrica præsens stat pro regula negative posita*. — Præsens rubrica, cum contineat sensum completum atque perfectum, stat pro regula negative posita; videlicet, quod «Regulariter lite non contestata non debeant testes recipi, neque possit ad sententiam diffinitivam procedi.» Quicumque igitur in casu particulari allegat rationem specialitatis, necesse habet eam probare: tum quia in materia communiter prohibita, sive in iis, quæ sunt de genere prohibitorum, locum

habet illud Clem. *Exivi*. § Porro de *Verb. signif.* «Ubi aliquid alicui generaliter prohibetur, quod expresse non conceditur, intelligitur denegatum;» tum quia potior est causa, pro qua facit regula: habet enim adversarius necesse ostendere rationem, quare in illo casu regula non loquatur, sicque in ipsum refunditur onus probandi; uti notat Glossa super rubricam de *Reg. jur.* in 6. Quo prænotato.

2. *Sententia interlocutoria potest fieri ante litem contestatam*. — Quæritur I. Cur dicatur in rubrica præsentis tituli, «Non procedatur ad sententiam diffinitivam» ante litis contestationem? Resp. cum Abbate ad rubricam. n. 3, h. t. id fieri ad excludendum a regula sententiam interlocutoriam: quia bene potest antea procedi ad sententiam interlocutoriam, præsertim eam, quæ fertur super exceptionibus dilatoriis, aut declinatoriis fori; aut quæ fertur super his, quæ de novo emergunt, vel incidunt, v. g. an reus fuerit legitime citatus, vel an is sit contumax, ac huiusmodi. Et hinc pariter testes, quamvis ante litem contestatam regulariter non possint recipi super negotio principali; possunt tamen recipi super dictis exceptionibus dilatoriis aut declinatoriis fori: siquidem hæc necessario proponendæ sunt ante litem contestatam, ut dictum tit. præced. n. 35. ac proinde, si opus fuerit, etiam testes ante hanc recipiendi sunt ad illarum probationem. Et hoc idem dicendum de aliis quæstionibus incidentalibus, aut de novo emergentibus ante ingressum iudicii; puta, an reus legitime fuerit citatus, vel an is existat contumax: nam etiam circa talia necessario testes prius sunt recipiendi, ac præmittenda sententia interlocutoria.

3. *Non item diffinitiva; et cur?* — Verum loquendo de negotio principali, procedit regula in rubrica contenta. Et ratio ipsius est: quia basis, ac fundamentum iudicii ordinarii, est ipsamet litis contestatio, qua ommissa nihil agitur, cap. un. de *Litis contestat.* Ergo hoc ipso, regulariter loquendo, etiam non valet testium receptio, neque sententia diffinitiva inde secuta. Quinimo utraque ipso jure nulla est atque inanis, c. *Ad hoc Deus*. 1. et c. *Accedens*. 2. § *Cum igitur*. juncta Glossa, § *Casamus*. h. t. cum concordantiis. Confirmatur: quia ante litis contestationem, utpote quæ est basis ac fundamentum iudicii ordinarii, necdum censetur causa in iudicium deducta; imo adhuc incertum est, an lis sit secutura,

vel super quo negotio ea sit movenda : sicque necdum habetur determinatum, super quo vel testes recipiantur, vel proferatur sententia diffinitiva. Nam ante litem contestatam partes non tam agunt, quam agere volunt; ut l. *Amplius*, ff. *Rem ratam haberi*, ibi « Hic enim non petit, sed petere vult. »

4. *In certis casibus possunt recipi testes ante litem contestatam.* — Queritur II. Utrum in certis casibus possint recipi testes lite non contestata, et quibus? Resp. I. Cum nulla sit regula sine exceptione, prout habet vulgatum axioma : hinc non solum in ordine ad exceptiones dilatorias, et declinatorias fori, juxta dicta n. 2. sed etiam in ordine ad negotium principale, regula in præsentis tituli rubrica contenta quasdam patitur fallentias, seu limitationes; danturque nonnulli casus, in quibus lite non contestata vel potest procedi ad testium receptionem, vel etiam ad sententiam diffinitivam : prout ostenditur inductione, enumerando principaliores tales casus.

5. *Quæ generatim ad hoc requirantur?* — Ubi tamen prænotandum cum Abbate in c. *Quoniam*, n. 3. h. t. ad istud, ut aliquando testes lite non contestata recipi valeant, quatuor requiri. *Primo*, quod subsit causa rationabilis. *Secundo*, quod pars adversa citetur, si citari potest. *Tertio*, quod si citari nequeat, intra annum a receptione testium, cessante alio impedimento pars adversa super principali negotio conveniatur, aut saltem facta testium receptio eidem denuntietur. *Quarto*, quod agatur civiliter : prout amplius de singulis patebit ex dicendis.

6. *I. Possunt testes recipi ante litem contestatam in judiciis summariis.* — Resp. II. Casus principaliores, in quibus potest procedi ad receptionem testium lite nondum contestata, sicque data regula fallit, præcipue sunt sequentes. I. Istud accidit in judiciis summariis : in his etenim proceditur simpliciter ac de plano, neque necessario præmittenda est litis contestatio. Clem. *Sæpe contingit*, de *Verb. signif.* Atque sub hac fallentia plures alii casus speciales continentur, quos refert, ac distinguit Glossa in cap. ult. § 1. *Generaliter*, h. t. uti sunt causæ electionum, aliæque beneficiale; item causæ matrimoniales, ac motæ super decimis, vel usuris, et hujusmodi : nam tales summariter et de plano possunt expediri, Clem. *Dispendiosam*, de *Judiciis* : sicque in ipsis potest procedi lite non contestata, utpote quam necessario non prærequirunt.

7. *II. Si adsit periculum, ne testimonii facultas pereat; ut si timeatur de testium morte, vel absentia diuturna.* — II. Loquendo etiam de judiciis ordinariis, atque solemnibus, quando civiliter agendum est, possunt testes recipi ante litis contestationem, si adsit periculum, ne cæteroque testimonii facultas pereat. Patet hoc ex cap. ult. § 1. h. t. ubi inter alia, quantum ad propositum, sic habetur : « Regulariter verum est, quod lite non contestata, non est ad receptionem testium procedendum; nisi forte de morte testium timeatur, vel absentia diuturna : in quibus casibus, cum civiliter est agendum (ne veritas occultetur, et probationis copia fortui is subtrahatur), senes valetudinarii, et alii testes, de quibus ex aliqua rationabili causa timetur, etiam lite non contestata, sunt procul dubio admittendi. » Hæc ibi.

8. *Tale periculum judicis arbitrio relinquatur discernendum. Quid de senibus septuagenariis?* — Cæterum, quando censeatur adesse mortis periculum, aut quam diuturna requiratur absentia testium, ut hi lite non contestata recipi valeant, judicis arbitrio relinquendum esse, ac discernendum; notat abbas in c. *Quoniam frequenter*, § 2. n. 17. h. t. allegans communem, ac fuse Menochius, l. II. de *Arbitrariis judic.* casu 59. et tribus seqq. Et quidem de senibus septuagenariis indistincte procedit dispositio cit. cap. ult. h. t. cum satis certum sit tales esse senes : infra hanc vero ætatem, ubi in jure quid specialiter non reperitur expressum, id vel speciali locorum consuetudine, vel judicis arbitrio taxandum erit.

9. *Ac de illis, qui sunt quinquaginta quinque annorum?* — Nec obstat textus in l. ult. c. *Qui ætate*, etc. l. X. ubi quisquis annum agit quinquagesimum quintum, senex reputatur, ita ut a muneribus personalibus excusetur. Nam hoc est speciale in publicis muneribus personalibus, a quibus ob difficultatem operum personaliter præstandorum, atque ob aliqualem respectum illius ætatis tales excusantur : non attenditur aliqua difficultas, sed solummodo permittuntur lite nondum contestata testes recipi ob timorem mortis ne forsitan cum illis seniculus pariter pereat probatio. Abbas, loc. cit. n. 18.

10. *Aut vexantur infirmitatibus?* — Verumtamen si nonnulli talium senium quibusdam vexentur infirmitatibus corporalibus, tunc ipsi, etiam lite non contestata, pro testibus audiri poterunt ex alio capite, nempe ob

metum mortis : siquidem in adultioribus ejusmodi infirmitates solent esse periculosiores. Idem dicitur de absentia testium diuturna, cum et quoad hanc qualitas negotii, v. g. non patientis diuturniorem dilationem, viarum distantia, atque periculum mortis ex longiori peregrinatione impendens, prudenti judicio discutiendum sit.

11. *Etiam ob alias consimiles causas possunt testes recipi lite non contestata.* — His etiam addendum, cum textus in cit. cap. ult. h. t. generaliter dicat, « etiam alios testes, de quibus ex aliqua rationabili causa timeatur, lite non contestata admittendos esse : » non solum ex causa timoris mortis, vel absentiae testium diuturnæ, sed etiam ob alias consimiles causas posse testes recipi lite necdum contestata, si alioquin arbitrio judicis timeatur, ne casu aliquo fortuito copia probationis subtrahatur, sicque veritas occultetur.

12. *Ut si timendum ne ob moram longiorem testes obliviscantur rerum gestarum.* — Hinc Glossa in cit. cap. ult. *Subtrahatur*, et Abbas in c. *Quoniam frequenter*, n. 6. h. t. citans Hostiensem et Joan. Andream, asserit ejusmodi dispositionem procedere etiam in casu illo, quando timetur, ne propter moram longiorem testes obliviscantur rerum gestarum, sique subsit periculum veritatis occultandæ. Quia tunc, quantum ad propositum militat eadem ratio : nam in ordine ad ferendum testimonium par periculum oritur ex timore mortis naturalis, ac ex timore oblivionis, ubi judex ex qualitate personæ, ac negotii, talem subesse prudenter arbitrari potest.

13. *Exempla regulam non restringunt.* — Unde non obstat, quod in d. cap. ult. h. t. casus iste inter alios, non connumeretur; tum quia de similibus idem est dicendum c. *Inter cæteras*, A. de *Rescript.* et alibi; tum quia cæteroque exempla regulam non restringunt. Fagnanus, c. *Ego N.* n. 23. de *Jurejurand.* Quin potius declarant dispositionem de similibus esse intelligendam, arg. l. I. § *Quod vulgo*, ff. de *Vi et vi armat.* Fagnanus in c. *Non minus*, n. 30. de *Immunitat. Eccles.*

14. *Testibus sic receptis ante litem contestatam, tenetur actor intra annum convenire adversarium, aut eidem receptionem testium denuntiare.* — Cæterum circa præmissa ex sæpe cit. cap. ult. § 1. h. t. bene notandum est, quod, « si actor testibus sic ante litem contestatam receptis non convenerit adver-

sarium infra annum, ex quo conveniri poterit, vel saltem receptionem hujusmodi testium non denuntiaverit illi : attestations sic receptæ non valeant. » Idque saluberrime constitutum est, ut hac ratione obvietur malitiæ, et fraudibus hominum : ne videlicet actor diutius tardet dumtaxat ex eo, donec mortuis, vel absentatis aliis hominibus, per quos reus depositionem, vel dicta talium testium reprobare potuisset, processu temporis non amplius possit legitimas exceptiones ad repellendum illos testes, vel ipsorum depositionem opponere.

15. *Alioquin attestations testium sunt invalidæ; et quomodo?* — Verumtamen sciendum, quod licet textus allegatus annullat attestations non facta intra annum conventionem, vel denuntiationem; nihilominus eadem non sint irritæ ipso jure, sed opus sit exceptione partis, aut sententia prætextu ipsarum lata, si pars non exciperet. Abbas, loc. cit. n. 10. Et merito : quia attestations illæ jam semel fuerunt validæ : quando autem solemnitas requiritur post actum, hoc ipso non dat formam actui; ac proinde is valet, nisi exceptione partis, vel per sententiam judicis annulletur, arg. l. *Universa*, juncta Glossa fin. C. de *Precib. imperat. offerend.* et notat Bartolus, in l. I. ff. de *Testib.*

16. *III. Regula præsentis rubricæ fallit in casu contumaciæ rei, estque periculum in mora; idque exemplificatur.* — III. Regula præsentis rubricæ fallit in casu contumaciæ rei. Si enim reus legitime citatus comparere contempserit sicque contumax fuerit, simulque periculum sit in mora; possunt contra contumacem, etiam lite non contestata, non solum testes recipi, sed etiam, si de causa liquido constet, sententia diffinitiva ferri. Textus est in cit. cap. ult. § *Porro*, h. t. Ubi istud expresse statuitur in causa litis super matrimonio, tum spirituali (hoc est, super electione alicujus ad beneficium ecclesiasticum), tum carnali : utpote in quo utroque casu longior mora foret nociva, illinc ecclesiis suo rectore diutius destitutis, hinc alteri conjugii ob periculum incontinentiæ. Idemque a simili dicendum in cæteris causis celerem expeditionem requirentibus, atque ubi periculum est in mora : eo præsertim, quod tales causæ possint expediri summarie, ac de plano, sicque non præmissa litis contestatione. Clem. *Dispendiosam*, de *Judiciis*, estque jam dictum tit. I. de *Judiciis*, § 2. n. 45. et seqq.

17. *Quid, si causae non ita requirantur celerem expeditionem?* — In aliis vero causis non ita celerem expeditionem exquirentibus, est distinguendum, an reus contumax conveniatur actione reali, vel personali. Et quamvis in utroque casu procedat regula, quod lite non contestata testes non sint recipiendi: nihilominus perseverante rei contumacia, ob quam retardatur contestatio litis, mittitur actor in possessionem rei litigiosae, sed diversimode; prout notatur in cit. cap. ult. § *In aliis vero*, h. t. et amplius dicitur infra tit. XV. *De eo qui mittitur in possess. etc.* § 2. per totum.

18. *Aut ipsemet actor contumaciter se absentet?* — Quod si vero actor post propositam semel judici actionem, reoque per hunc insinuatam, sese contumaciter absentaverit, et post trinam legitimam citationem non comparuerit: tunc reo praesente, ac instante, potest procedi in causa, etiam lite non contestata; et liquidato negotio devenitur ad sententiam diffinitivam, Auth. *Qui semel. c. Quomodo et quando*, etc. Glossa in cap. ult. § *Regulariter*. h. t.

19. *IV. Regula eadem fallit, quando ad instantiam partis fit receptio testium, ad perpetuam rei memoriam.* — IV. Regula eadem fallit, quando ad instantiam alterutrius partis fit receptio testium « ad perpetuam rei memoriam; » prout clare habetur cit. cap. ult. § *Sunt et alii*. juncta Glossa, § *Publicatio*. h. t. et c. *Significavit. 41. de Testib.* et Auth. *de Testib.* § *Et hic vero*, collat. Nam 6. quando quis timet, ne in futurum super aliquo contractu, vel alio negotio proxime gesto, lis sibi moveatur, sicque ipse reus constituatur: tunc potest is petere a iudice, ut testes, qui contractui, aut negotio illi interfuerunt, recipiantur, atque publicentur: idque « ad perpetuam rei memoriam, » ne videlicet imposterum probationis copia pereat. Atque ut huiusmodi receptio testium eo firmior existat, poterit is, qui eam a iudice petit, ulterius postulare, ut publicum instrumentum desuper conficiatur, quod suo tempore in iudicium afferri poterit ad probandum suam intentionem; prout liquet ex cit. c. *Significavit. de Testib.* Atque hoc in favorem reorum statutum fuit, ne alioquin ipsis, si forsitan imposterum convenirentur, copia probationis quoquo modo deficeret.

20. *Tunc tamen etiam pars adversa est citanda.* — Solum nota, quod, quando ad instantiam partis, seu ne quis imposterum super

certo contractu vel negotio conveniri valeat, fit receptio testium ad perpetuam rei memoriam; etiam pars adversa sit citanda, ut si velit, dictae testium receptioni intersit, juxta cit. c. *Significavit. 41. de Testib.* et d. Auth. *de Testib.* § *Et hic vero*. Ubi tamen additur, quod si altera pars citata interesse proterve respuerit, ea habeatur pro praesenti, nec postmodum depositiones testium amplius impugnare valeat.

21. *V. Fallit quando agitur per viam inquisitionis super aliquibus excessibus.* — V. Quando igitur per viam inquisitionis super aliquibus excessibus, possunt testes recipi absque litis contestatione. cit. cap. ult. § *Sunt et alii*. h. t.

22. *Solvuntur contraria.* — Nec obstat c. *Cum. I. et A. 22. de Sentent. et re judic.* et c. *Cum dilectis. 15. de Purgat. canon.* ubi in causa inquisitionis requiritur litis contestatio. Resp. enim cum Glossa in cit. c. *Cum I. et A. §. Lite non contestata*, Innocentio, et aliis, quos citat Abbas in d. cap. ult. *Sunt et alii. n. 4. h. t.* haec posteriora jura procedere, quando tela inquisitionis assumitur ad instantiam alicujus specialis impetrantis, sive prosecutoris: secus esse, quando fit inquisitio ex officio iudicis ad publicam infamiationem praeviam. Vel dic cum Glossa marginali ad cit. c. *Cum I. et A.* Abbate ubi supra, et aliis, quod in inquisitione generali nunquam fiat litis contestatio: in speciali autem inquisitione fiat quidem litis contestatio, quando reus est praesens; tunc enim is, contra quem inquiritur, est vocandus, et si neget, habetur id pro lite contestata. Si autem sit absens per contumaciam ille, contra quem fit inquisitio, tunc ista procedit absque alia litis contestatione: et sic concordabis jura iuribus.

23. *Alii casus, in quibus dicta regula fallit. Remissive.* — Praeter hos casus dantur nonnulli alii, per Glossam in cit. cap. ult. § *Regulariter*. h. t. et Abbatem ibid. § 1. n. 4 enumerati, in quibus possunt testes recipi ante litis contestationem. Verum praemissi casus sunt principaliores, alii vero commode reducuntur ad aliquem ipsorum: puta, quia in ipsis solet procedi summarie, ac de plano; aut quia adest periculum in mora, ne postmodum testibus mortuis, aut saltem diutius absentatis, pereat copia probandi: vel saltem, quia non instituitur iudicium ordinarium ac solemne; ut si damtaxat incidenta liter imploretur officium iudicis pro conce-

denda restitutione in integrum, c. *Judicis*, juncta Glossa fin. *de Offic. judic.* Vel, quando recipiuntur testes in notoriis ad cautelam, ut c. *Bona memoriae. 23. § Licet. de Election.* Nam in notoriis non est opus alio processu judiciario, c. *Evidentia. de Accusation*, et can. *de Manifestat. 2. q. 1.*

24. *In causis criminalibus criminaliter intentatis nunquam recipiuntur testes ante litem contestatam pro instituenda futura accusatione.* — Queritur III. An praedicta locum habeant etiam in causis criminalibus? Resp. I. In causis criminalibus criminaliter intentatis nunquam recipiuntur testes ante litem contestatam pro instituenda futura accusatione; ac proinde vel maxime in ipsis procedit regula rubricae praesentis tituli. Ita Glossa cap. ult. § *Civiliter*, h. t. et Abbas, ibid. n. 5. cum aliis passim. Idque desumitur ex verbis cit. cap. ult. § 1. ibi: « In quibus casibus, cum civiliter est agendum, » etc. Quasi diceret: « secus, quando criminaliter est agendum. » Nam exceptio illa firmat regulam in oppositum in casu non excepto, juxta dicta lib. I, tit. II. *de Constitutionibus*, § 16. n. 405.

25. *Idque probatur ulterius.* — Accedit ratio, quia in criminaliter intentatis ordo judiciarius exacte servari strictissimeque procedi debet; cum in eis non agatur de interesse bursali, sicut in civilibus, sed de gravissimo praedicio vitae, et sanguinis humani. Unde et in talibus requiruntur probationes apertissimae luceque clariores, can. *Epiphanium. 5. q. 6. et l. ult. c. de Probat.* Idque merito: « Satius enim est, impunitum relinqui facinus nocentis, quam innocentem damnari, » ut inquit jurisconsultus in l. *Absentem. ff. de Poenis.*

26. *Secus quando agitur de crimine solum civiliter.* — Additur n. 24 notanter, « in causis criminalibus criminaliter intentatis. » Nam quando agitur de crimine solum civiliter, (hoc est, ad privatum interesse, et non ad publicam vindictam) tunc cessant rationes proximae allatae: ac proinde licet regulariter id fieri nequeat, nihilominus possunt recipi testes lite nondum contestata, seu timeatur de ipso rum morte, aut diuturna absentia, vel urgeat alia rationabilis causa. Communitersiquidem paria censentur, quod agatur mere civiliter, vel quod de crimine agatur civiliter, arg. l. ult. ff. *de Privatis delict.* Simulque in textus, cap. ult. § 1, h. t. ex praemissis causis admittens receptionem testium ante litem contestatam, loquitur indistincte, « Cum civiliter

est agendum. » Abbas in c. *Quoniam frequenter*, n. 5, h. t.

27. *Limitatur ac declaratur ulterius conclusio.* — Additur ibidem ulterius, « pro instituenda futura accusatione, » tum quia ad probandam rei innocentiam, etiam lite necdum contestata possunt quocumque tempore testes recipi, arg. c. *Significavit, 43. de Testibus*, idque suadent rationes n. 5 allegatae, sumpto argumento a sensu contrario. Engel h. t. n. 5, Sannig. eod. cap. II, n. 2, et alii; tum quia secus est, quando super crimine aliquo proceditur per viam inquisitionis, juxta dicta n. 21. Imo etiam in causa denuntiationis regulam fallere, notant Glossa in cit. cap. ult. § *Regulariter*. h. t. id probans ex c. *Novit. de Judiciis.*

## TITULUS VII.

### De Juramento calumniae.

1. *Ratio continuationis rubricarum.* — Quoniam regulariter loquendo post actionem mediante libelli oblatione editam in iudicio, et factam litis contestationem, solet immediate praestari juramentum calumniae; merito post praecedentes rubricas subjicitur ista. Hinc dimissis aliis juramenti divisionibus, ipsumque juramentum generatim contentibus, utpote de quibus agitur commodius infra tit. XXIV, *de Jurejurand.*, ac praesentem titulum majoris claritatis gratia in paragraphos dividendo, sit

#### § I.

DE NATURA, ET DIFFERENTIIS JURAMENTI CALUMNIAE, MALITIAE, AC DE VERITATE DICENDA.

2. *Juramentum calumniae, quid?* — Queritur I. Quid sit juramentum calumniae et quae continere debeat? Resp. I. Juramentum calumniae est illud, quod praestatur tam ab actore, quam reo, super tota causa, quod bona fide, sive credendo se habere justam causam litigandi, non autem animo calumniandi, per decursum totius litis agere, vel respondere velint. Et hoc dicitur juramentum calumniae, subintelligendo, evitandae in causis. Qua ratione exponi etiam solet illud Apostoli I *Corinth.* VII, 2: *Propter fornicationem*, scilicet